

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis  
Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev  
De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

IX. Probatur etiam ex controversia de episcopatu Ephesino, quæ agitata est in Concilio Chalcedonensi. Eusebius Episcopus Ancyranus in eodem Concilio dixit habendam provinciæ synodum in civitate cui ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

electione, sed de remedio schismatis

VII. Testimoniis ecclesiasticis subjun-  
gemus Constantini quoque rescripta, tum  
ad Nicomediensum Ecclesiam apud Theo-  
doretum lib. I. cap. xx. quam hortatur ut  
fidelem Episcopum eligat, quod nunc quidem  
in vestra est potestate, & vestri dudum esse ju-  
dicij oportuit, ὥστε οὐτὶς τὸ παρόντος εἰς ὑμᾶς οὖτις,  
οὐ τὰ πάλαι ἐχεῖν τὸ ὑμετέρας κελεως ἀριθμόν, ταῦ  
tum ad populum Antiochenum, quem  
omissa Eusebij translatione hortatur ut ex  
Ecclesie lege hunc eligant pastorem quem com-  
muniis servator designari: Θεοφῶν ἐκκλησία  
τοῦ αἱρετοῦ ποιῶν δὲ ὁ αὐτὸς αὐτῷ ἔγειρε οὐ κο-  
νός συντηρεῖ. apud Eusebium de vita Constan-  
tini lib. II. cap. LVI. Sed capite LVIII.  
adducit ejusdem Constantini epistolam ad  
Theodosium Laodicenum Episcopum &  
alios, qua docet studia plebis & Episcopo-  
rum conjuncta fuisse in petenda translatione  
Eusebij ad Ecclesiam Antiochenam: καὶ τώ  
ταῦτα, γε τὸ ὑμετέρας περιπέτειας συβεβίσθαι  
βούλειν.

VIII. Nostra illa definitio probatur quoque ex consequentis ætatis electionibus insignioribus, quarum solum memoriam scriptores conservarunt. Vacanti Cæsareensi Ecclesie in Cappadocia, ex Diamei obitu, dandus erat successor. Conveniunt eam ob rem Episcopi Cæsaream; dissidentibusque inter se civibus, cum alius alium proponeret, tandem cum in Eusebium catechumenum consenserint omnes, illum sibi constitui ab Episcopis extorserunt, teste Gregorio Nazianzeno in oratione de obitu patris. Eusebio mortuo, Episcopi Cæsaream convenere ad electionem Pontificis. Gregorius pater absens scripto in Basilium confessit; & porrò ad ejus causam juvandam, agro licet corpore, in urbem se contulit; & tandem juxta vota cleri, monachorum, honoratorum, curiarum, & plebis, electio decreta est ab Episcopis, ordinatusque Basilius; ut patet ex superiori oratione Gregorij Nazianzeni, & ex ejus epistola xxi.

Flaviani Antiocheni electio & ordinatio facta est Antiochia ab Episcopis provincia & totius orientalis Dicēseso, tota Ecclesia suffragante, ut docet synodica Concilij C P. anni c c c l x x x i. quæ Nectarium quoque à synodo Oecumenica, clero & civitate universa suffragante, constitutum testatur. Gregorij Nysseni ea tempestate deletum & ordinationem à synodo provincia factam ipsem̄ scripsit; in eoque se Flaviano exequat. ἵνα τὸ σῶμα καὶ μὲν γέρες ἀμφοτέρων ἴησθαι ταπεινίᾳ.

IX. Vigebat mos ille in aliis quoque Ecclesiis; ut ostendi potest ex undecima actio-

ne Concilij Chalcedonensis, in qua tractatur de controversia Bassiani & Stephani ob Ephesinum episcopatum. Stephanus enim docere contendens electionem suam factam juxta canones ait: *Me quadraginta Episcopi Aiani, suffragio & nobilium & totius reverendissimi cleri & omnis civitatis, ordinaverunt: Υἱόφραντος λαμπρούτων, και τοράδων, και τολλαζέτων πατρών κλήσις.* Negotium quoque istud recte ab Eusebio Episcopo Ancyra, quae est metropolis Galatiae, explicatur in actione decima sexta. Etenim cum ageretur de Metropolitanorum ordinatio-nibus à sede Constantinopolitana peragen-dis, docet gravissimum detrimentum civi-tatibus exinde creandumiri, ob sumptus immensos quibus atterentur; sed servandos esse canones, qui præcipiunt in civitatibus ipsis habendam provinciæ synodus, & ab ea constituendos Episcopos, quos ipsa pro-baverit, à civitate sibi propositos. Si enim non in civitatibus hi qui eliguntur à civitate ordinantur à synodo provincia comproba-ti, solvuntur substantia: *Ἐας μηδὲ εἰ τὸ πόλε-ον αὐτῶν, οἱ ἀριθμοὶ τοῦτος ἐπί τοις πόλεσι, γε-ροτονταῖς τοῦτος & συνδέσαις τοῖς τοις επαρχίαις δοκεῖσθαι, λόγοι τοις εἰσι.* Huic incommo-do mederi se posse existimaret judices im-peratorij, decurrentes ut à Clericis metro-poleos, à professoribus, & clarissimis viris, tum etiam à provincia Episcopis, fiat decretum electionis ejus personæ quam dignam episcopatu judicaverint, gestisque ad Archiepiscopum Constantinopolitanum delatis, penes illum sit ut ad se evocet elec-tum Con-stantinopoli consecrandum, aut ex ejus per-missione, κατ' ἀντοκτονίων αὐτού, in provincia ordinetur. Reliqui verò singularum civita-tum Episcopos ordinandos à Metropoli-na & à provincia Episcopis.

X. Quem autem modum servarent in singulis civitatibus addiscere possumus ex xiiii. actione : ubi Eunomius Nicomedia Episcopus, quæ erat Bithyniæ metropolis, conqueritur adversus Anastasium Nicaeæ Episcopum ; qui ex eo quod Nicaeæ civitas jure metropoleos donata fuerat per rescriptum Valentis , Episcoporum ordinationes in quibusdam civitatibus sibi vindicabat , & specialiter Basilinopoli. Eunomius autem, ut prober ad se jus istud pertinere, ait : Ostendo decretum Basiliopolitanorum , ubi rogarerunt de Episcopo . Tu ostende ubi rogarerunt Nicanum ut eis daret Episcopum . Decretum itaque siebat à Clericis & civibus ; quo à Metropolitano perebatur Episcopi ordinatio , aut à civibus designati , aut alterius qui esset idoneus , arbitrio Metropolitanum sua synodo. Etenim (ut recte observat